



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Opvs De Iudiciis Divinis, Qvae Devs In Hoc Mvndo Exercet

Accessit index concionatorius in omnes totius anni dies Dominicos &
Festos, ab ipso Auctore confectus

Stengel, Georg

Ingolstadii, 1651

8. Quotuplex, & qualis sit in Deo justitia?

urn:nbn:de:hbz:466:1-45653

cit illa, quæ non sunt (vt è prædictionibus ac vaticinijs illius est manifestum) siue longè post futura sint, siue etiam nunquam sint exitura; quanto euidentius est, eum videre illa, quæ facta sunt? Quod clarè indicatur illis verbis: *Domino Deo nostro, antequam crearentur, omnia sunt agnita; sicut & post perfectum respicit omnia.* Hoc certissimum Fidei fundamentum qui ponit & credit, nunquam dicet, Deum aliquid ignorauisse, aut per ignorantiam, vel mala malè permisisse, vel non bene bona, sine remuneratione, reliquisse.

VII.

Alterum igitur iam dehinc iaciendum est fundamentum iustitiæ, vt constet, Deum, sicut in ratione veri, atque intellectu errare non potest, ita, in ratione boni, ac voluntate quoque etiam non posse hallucinari. Et quidem, si calculum bene ponamus, licet in Deo non possit esse debitum strictè, seu illa obligatio ad alterum, qui perfectè sit alter, & non in possessione seu dominio Dei, cum ille sit Dominus omnium; potest tamen esse, & est in eo illa iustitia, qua operi congrua merces redditur, etiamsi is, qui reddit, non sit iustitiæ, sed solius fidelitatis nexu obligatus; & siue is, cui redditur, sit sui iuris, siue in potestate reddentis. Nimirum, vulgò, & communi loquendi modo, cum aliquem iustum vocamus, non tam spectatur ius obligationis, quam æqualitas & congruentia rerum, quam iustitia efficit. Ab hac iustitia Deus passim, & verè laudatur: ab hac vocatur *iustus Iudex*, quia integerrimè reddit unicuique, secundum opera sua, statutam scilicet mercedem; bonis præmia, malis supplicia, iuxta exigentiam & æqualitatem meritum. *Iustitia enim Dei celebratur, vt omnibus ea, quæ meritis cuiusq; conueniunt, distribuens,* ait S. Dionysius Areopagita.

Leon. Lest.
Lib. 13. de
diu. perfect.
cap. 2.

S. Dionys.
de diuin. no-
minibus.
cap. 8.

VIII.

Triplex iustitia, *commutatiua, distributiua, & vindicatiua*, ab Aristotele, est assignata. Itaque si, non iam obligationem iustitiæ, aut debitum perfectum ac absolutum (quale in Deo absolutissimè omnium rerum dominium habente quodque à se abalienare, non potest, nequit esse) sed condignitatem aspiciamus, & *commutatiua, & distributiua, & vindicatiua* iustitia Deum ornat, maiorque est, quàm, vt ab vilo mortali ingenio possit explicari.

IX.

Commutatiua eius iustitia mortalibus innotescit, quia, inter meritum & præmium constituit æqualitatem, dum cuique ipsius meritis congruentem tribuit mercedem. De hac loquens ait Apostolus: *In reliquo reposita est mihi corona iustitiæ, quam reddet mihi*

2, Tim. 4. 8.

hi